

fabulas, dogmaticasque hominum sententias ac praejudicia; — ex his omnibus concludit nunquam certum fore, utrum praesens rei perceptio rei naturae correspondeat objective. — Etiam principium causalitatis impugnat, quia a) hoc dicit relationem, relatio autem omnis non tota realis est sed a cognitantis consideratione dependet, b) quia causa effectum suum nec sequi nec comitari potest, ut patet, sed nec praecedere potest, nam quamdiu effectus non est, tamdiu causa correlata nondum est causa.

SECTIO 3.

PHILOSOPHIA ROMANA.

1º Romani bello rebusque gerendis penitus dediti, quemadmodum litteraria, ita etiam philosophica studia dudum neglexerunt, imo et legibus prohibuerunt; donec devictae Graeciae litteris et scientiis exculti, ac praesertim per missos ex Graecia legatos philosophos *Carneadem Academicum*, *Diogenem Stoicum* et *Critolaum Peripateticum*, 155 a. Ch., etiam philosophiam acceperunt cum omni multitudine graecorum systematum. Fuerunt autem alii qui ex variis doctrinis ea quae preeplacebant seligerent, atque in unum combinare satagerent: ii eclectici dicuntur; alii vero alia integra systemata suscepérunt, proprium ac novum sistema nullus habuit.

2º *Eclecticus* maximae notae fuit *M. Tull. Cicero* (106—34 a. Ch.), qui in juventute magistros habuit Athenis Epicureos, Academicos et Stoicos. — In *logica* sequitur medium academiam; hinc saepe dubius haeret, saepe ad testimonium conscientiae, ad consensum generis humani, ad notiones naturae inditas recurrit; — In *physica*, etsi eam non contemnendam censem, manet anceps; negat autem firmiter mundum esse casu ex concursu atomorum formatum. — In *theologia*, valorem tribuit consensui populorum Dei existentiam testanti; admittit providentiam. — In *psychologia*, animam hominis esse nobilioris originis, et immortalem, admittit et probat, non tamen omnino certus videtur; contra Stoicos defendit animae libertatem. — In *ethica*, refutato epicureismo sequitur Stoicos moderatos. Virtus est bonum primarium et supra omnia alia bona aestimandum; num virtus ad felicitatem sola sufficiat dubium est. Sapiens debet sine passione (i. e. perturbatione) esse, et virtus practica est primaria ac ceteris anteponenda: «agere considerate, pluris est quam cogitare prudenter.» — In *politica*: status optimus reip. est, ut ex tribus generibus: regali, optimati, populari, confusa modice sit.

3º *Stoicismum* sequebantur viri dignioris conditionis, propterea quod cum ingenio Romano apprime quadrabat: quia docebat fortia agere et pati, — quia negotiis publicis incumbere permittebat et instruebat, — quia inter cetera systemata maxime dignitati humanae et rationi consonus. Hinc etiam factum est ut posteriobus saeculis Stoici pree ceteris omnibus sectis facilius ad christianam religionem converterentur; quia illis in morali fere

nihil innovandum erat nisi intentio mentis. — Inter eos eminuerunt:

a) *Scipio Africanus*, *Cato* uterque, *M. Brutus*...

b) *Lucius Annaeus Seneca* Cordubensis, Neronis praceptor, celeber ob doctrinam philosophicam quam exilio pulsus fortem et sublimem scripsit.

c) *Epictetus Phryx*, qui nobis perelegans *encheridion* reliquit, in quo totam philosophiam Stoicam optime explicat. Impugnat tamen suicidium, et pro primo principio morali inculcat illud: «*Sustine et abstine.*» Ast damnare et proscribere videtur affectus animi maxime legitimos.

d) *Marcus Aurelius Antoninus*, imperator, eamdem doctrinam tenet, prout ex ejus «*encheridio, ad seipsum*» patet. In hoc plura jam dogmata christiana apparent.

4º *Epicurismum*, sub Augusto ejusque successoribus usque ad Antoninum Plium, plerique litterati et eruditiores Romani tenebant, eumque perversiore sensu intellectum palam profitebantur, et practice omni abjecto pudore sequebantur.

5º *Cynismum* resuscitare conati sunt: *Crescens* qui M. Aurelium ad vexanos Christianos impulit; et alii aliqui moribus perditи viri.

6º *Scepticismum Pyrrhonis* resumpsit *Sextus Empiricus*: is nobis reliquit hypotyposes Pyrrhoneas et 11. libros contra mathematicos seu philosophos dogmaticos. — Ut autem rite percipiatur differentia inter scepticos et dogmaticos hujus temporis, observandum est ambos admisisse aliquod criterium practicum, ita ut homines sufficientem certitudinem acquirere possint ad agendum in praxi; at tota controversia circa possibilitatem vel existentiam criterii speculativi versabatur, quod nos certos reddat de relatione quae intercedat inter apparentias et realitates. Tale admittebant dogmatici, repudiabant Sceptici. Argumenta multis exponit *Sextus Empiricus*, quae non in eo peccabant quod asserebant criterium illud a priori probari non posse, sed in eo quod hujus criterii demonstrationem exigebant.

SECTIO 4.

PHILOSOPHIA ALEXANDRINA.

Alexandriae sub Ptolemaei omnes artes et scientiae floruerunt; quamobrem multi graeci philosophi diversorum systematum, simul et plurimi ex omni natione sapientes cum suis traditionibus ibi conveniebant. Ex tanta opinionum et religionum varietate ortus est quidam syncretismus (N. B. Ita vocatur philosophia quae derivatur ex conjunctione et associatione placitorum ex diversis systematibus depromptorum; sed si delectus fit satis sapienter ac prudenter, ita ut non nisi recta et utilia ex quolibet systemate velit assumere, et in unum redigere, vocabitur *eclectismus*; sin autem caeco modo colliguntur notiones a variis philosophis traditae, ita ut systema

aliquid integrum et sibi cohaerens nullum efforment, compilatio illa vocabitur potius *syncretismus*. Practice non idem omnes dicent eclecticum vel syncreticum, sed different pro cuiusque opinione). Ad expositionis faciliorem claritatem dividemus ordine dicenda :

- Articulus 1. De philosophia Judaeorum.
- Articulus 2. De Neopythagorismo.
- Articulus 3. De Neoplatonismo.

ARTICULUS 1.

De philosophia Judaeorum.

1º Judaei Alexandriae multi habitabant; eorum aliqui doctiores revelationis Mosaicae divinitatem super omnia eminere tenentes, cum tamen graecorum sapientiam negare vel non mirari non possent, apud se tanquam indubitabilia principia statuerunt : a) revelationem biblicam esse summam sapientiam, in qua etiam omnis graecorum philosophia continetur implicite et eminenter; b) non ex ratione sed ex revelatione biblica fuisse primitus a Graecis haustam eorum sapientiam omnem; c) eo solum ea differre, quod in bibliis veritas figuris involuta proponeretur, a graecis vero rejectis figuris nuda et pura exhiberetur. — Exinde concordiam ostendere quaerentes, bibliorum paginas, rationalistarum instar, interpretari, accommodare, ad graecorum placitorum normam contorquere, allegorias ubique censere inveniendas et explicandas coeperunt.

2º *Aristobulus*, circa 160 a. Ch., primus syncretismum illum tentavit; ac circa idem tempus *Aristeas*.

3º *Philo*, natus circa 25 a. Ch., primus sensum allegoricum induxit :
a) *quoad Deum* : Deus est incorporeus, simplex, distinctus a mundo, ejusdemque causa libere efficiens, est incomprehensibilis et ineffabilis, omnibus rebus praesens per solam virtutem; — Deus producit mundum sine contactu cum materia, mediate per verbum, *λόγον*; — Verbum est ens intermedium inter Deum et Creaturas; apud Deum habitans tamquam ejus sapientia, tamquam locus idearum; et in mundum dispersum tamquam ratio divina in eo se manifestans; — dispescitur illud Verbum in inferiores multas ideas universales, genericas et specificas, tamquam in angelos et daemones, divinitates inferiores, Deo obedientes, immortales, partes Verbi quod est universalissimum et sumnum omnium quae non ipse Deus sunt. Verbum non increatum est sicut Deus, sed nec creatum sicut relquia, est enim relate ad Deum filius primogenitus, relate ad nos quasi Deus; ac per Verbum Deus mundo se manifestat, per Verbum mundus apud Deum repraesentatur tamquam per mediatorem et pontificem.

b) *in physica* Philo sequitur Aristotelem. — Materia quatenus opponitur vi formatrix Verbi, est origo mali; — dies quibus Deus universe creavit, indicant tantum ordinem logicum.

c) *in psychologia* : homo duplum animam habet, rationalem et irrationalem; — rationalis fluit ex Deo, et ob culpam admissam ex angelorum consortio in corpus dejicitur; haec habet facultatem sensibilia percipiendi, ratiocinandi, intuendi immaterialia et quidem primo ipsum Deum; — irrationalis anima est radix passionum et cupiditatum, ac proinde non a Deo sed a subordinatis geniis producitur.

d) *in ethica* : finis hominis est intuitio Dei, quam homo abjecta sensualitate consequitur. — Inde duplex vita, activa et contemplativa, quarum prior alteri subordinata; — virtutes vitae activae sunt prudentia, fortitudo, temperantia, justitia; — virtutes vitae contemplativae disponunt ad intuitionem, v. c. fides, spes, paenitentia, etc; vel ad eam conducunt, v. c. sapientia. — Ergo sapiens ille solus est qui se ad vitam contemplativam applicat.

4º *Flavius Josephus* secundus post Philonem religionem judaicam ab objectionibus et calumniis philosophorum gentilium vindicavit, eximius ipse historicus, duabus suis libris adversus Appionem, et altero de Macchabaeis seu de imperio rationis, clarus.

5º *Rabbi Jehuda*, initio saeculi 2º post Ch. conscripsit librum cui titulus *Mishna*, i. e. secunda lex, quae textum primigenium legis traditionalis continet, quem 60 seniores memoriter discere tenebantur, ut ferunt judaei. — Huic libro centum annis postea *Rabbi Johanna* aliisque supplementum addiderunt quod inscribitur *Gemarra*. Hi duo libri veniunt nomine *Talmud Hierosolymitanae*. Cui saeculis 4º et sequentibus addita fuit *Talmud Babylonica*. De hac posteriore plerumque agitur dum apud auctores de Talmude fit mentio. Utique est congeries maxime fabulosa, in qua verae et falsae traditiones cum Gentilium fragmentis passim commiscentur.

6º *Rabbi Akiba* et *Rabbi Jochai*, saeculo 2º p. Ch., et alii, sapientiam judaicam evolverunt, quae vocatur *Cabbala*. Haec, ad normam numerorum Pythagorae et idearum Platonis, per emanationes lucidas, omnium rerum visibilium et invisibilium ortum, ex primigenio fonte omnis Esse deducit. Versatur magna ex parte circa artem divinatoriam, docet modum arcana inquirendi numerorum ope. — Tota philosophia cabbalistica est colluvies informa Chaldaeorum, Pythagoricorum, Platonicorum, et Judaicorum placitorum, ab Arabibus tempore dominationis Sarracenorum, ex Talmude aliisque traditionibus collecta.

ARTICULUS 2.

De Neopythagorismo.

P. *Nigidius Figulus* restitutor scholae Pythagorae, circa 50 a. Ch.; — et praecipue *Apollonius Thyanaeus*, qui sub Nerone, fictitiis miraculis maximis apud vulgus aestimationem comparavit, cum Pythagorae placitis doctrinas orientales sociavit; — *Moderatus Gaditanus*, sub Nerone, symbolismo numerorum indulgens; — *Nicomachus Gerasenus*, paulo ante Antoninos, numeros docet ideas esse in mente divina preeexistentes.

ARTICULUS 3.

De Neoplatonismo.

Neoplatonismi generalis indoles ea est, ut *Platonis* philosophiam cum *Orientalibus religiosis* notionibus in unitatem redigere conetur, nempe in eclectismum unum *emanationis idealisticae*, ac *mysticismi* exaggerati, unde et in superstitiones theurgicas, magicas, necromanticas, mox proruerit. — Distingui possunt tres praecipuae scholae : Alexandrina-Romana, systema fundans et evolvens; Syriaca, in phantasticam theurgiam imprimis inclinans; Atheniensis, ad saniora placita rursus paululum accedens. — Omnes autem Christianismo jam propagato infensissimae.

- § 1. Schola Alexandrina Romana.
- § 2. Schola Syriaca.
- § 3. Schola Atheniensis.

§ 1. SCHOLA ALEXANDRINA ROMANA.

1º *Ammonius Saccas*, Alexandrinus, 176—250 p. Ch., primus Neoplatonismi auctor.

2º *Plotinus*, 205—270 p. Ch., systematis excultor et scholae proprie fundator, Ammonium audit Alexandriae, Romam venit ibique docuit. Ejus doctrinae summa haec est :

a) *quoad Deum* : Omnium principium est absolutum bonum, unum, quod nec objectum nec ratio est, nec movetur nec quiescit, nec est in tempore nec in spatio, omni omnino determinatione caret, non cogitans aliquid, sed ipsum absolutum esse et cogitare. — Quidquid est aut esse potest, ab omni aeternitate fuit in illo esse absoluto, a quo omne ens determinatum emanat. — Emanatio fit sine ulla mutatione vel alteratione entis absoluti; ratio vero emanationis et communicationis est bonitas illius entis. — Primum quod ab absoluto fluit, tamquam a sole lux, est intelligentia absoluta, νοῦς. Haec quatenus absolutum contemplatur, fit subjectum, et ab eo distinguitur, et quatenus possibile in absoluto considerat, possibile determinat. Est ergo et ipsa prima realitas determinata, et omnium realitatum fundamentum et principium.

b) *quoad mundum* : Ab intelligentia emanat anima universalis, tamquam ejus imago, quae ab ipsa non realiter distinguitur. — Anima dum res, i. e. exemplaria, in intelligentia contemplatur, secundum illas agit : inde oriuntur omnes animae particulares, quarum vires aliae ad intelligibilia, aliae ad sensibilia sunt directae. — Anima, lumen illuminatum ab intelligentia, emitit lumen, et in termino luminis emissi videt tenebras, quae sunt materia sensibilis. — Materia sensibilis est aliquid omnino indeterminatum, privatio realitatis, ac proinde origo mali. Est autem capax ut inde aliquid reale fiat

per formam, i. e. per ideam quam anima contemplatur in intelligentia. — Ex unione ideae cum materia oritur corpus, mundus sensibilis, qui dicitur speculum, imago realitatis mundi intelligibilis. — Ergo cum reale substratum desit, nulla est proprie realitas mundi corporei.

c) *quoad hominem* : Solum per corpora animae immateriales multiplices esse apparent; de se autem sunt aliquomodo confusae cum anima universali, et ideo per magiam in invicem agere possunt in distans. — Animae humanae, eo quod materiam sensibilem immediate attingunt, ei nimium adhaerent, ob idque in malum prolabuntur. — At quantumvis anima humana corpori adhaereat, semper aliqua ex parte in animae universalis conjunctione perseverat, et per eam cum intelligentia communicans, neglecta sensum fallacia, veritatem assequitur et intuitionis absoluti unius capax fit. — In hoc statu, anima comparans malum in quod lapsa est, cum bono quo ante fruebatur, ad gradum a quo descenderat ascendere cupit, ac per animam universalem, et in ea per intelligentiam, ad absolutum pervenire in ejusque intuitione exstatica conquiescere adnititur. — Finis igitur hominis est exstatica intuio.

d) *quoad ethicam* : Finem illum homo assequi nequit nisi deserat passiones, se a vinculis sensum solvat. Eoque perfectior homo est quo magis a sua individualitate recedit. — Virtus est medium ad finem ultimum, consistitque in assimilazione cum Deo. — Distinguit Plotinus virtutes vitae civilis, purgativae et contemplativae. — Omnes animae sunt immortales; — eae quae ab omni sensualitate purgatae sunt, in aeternum felices erunt; animae malae in diversa corpora aguntur.

3º *Porphyrius*, 233—304 p. Ch., acerrimus christianaee religionis adversarius, Plotini magistri sui doctrinam interpretatur; concordiam inter Platonem et Aristotelem adducere conatur. — A Plotino differt eo quod potius practicam quam religiosam doctrinam prosequitur; — manticam, theurgicas initiationes, daemonum cultum approbat. — Notissimus ejus est liber de quinque praedicabilibus.

§ 2. SCHOLA SYRIACA.

1º *Jamblicus*, Chalcide in Coelesyria natus, obiit 330 p. Ch.; Porphyrium magistrum suum fama, non ingenio, superavit; — philosophiam Neoplatonicam cum mysticismo Pythagoraeo et cum polytheismo ac theurgia commiscuit (*Theurgiam* intelligit artem per mysticas operationes ineundi commercium cum Diis beneficis, tum Graecorum tum Orientalium, ab iisque prodigiosa obtainendi; — *magia* est eadem ars relate ad Deos maleficos; — *theosophia* vero est ars se cum Deo ope rituum quorumdam mysticorum conjungendi). — Ejus doctrinae summa haec fere est : Principium primaevum est ens maxime indeterminatum, superius etiam ipso Plotini uno absoluto vero bono; — ex illo emanat mundus intelligibilis (idearum), ex quo fluit porro mundus entium intellectivorum; — dein sequitur emanatio animae; — atque ultimo emanat ens sensible.

2º Jamblici successores potius sacerdotum exercere quam philosophiam docere visi sunt. — Ab eis institutionem accepit Julianus Apostata. — Inter eos celeberrimus fuit Hierocles qui philosophiam Aristotelis eamdem esse atque Platonicam probare enisus est.

§ 3. SCHOLA ATHENIENSIS.

1º Plutarchus, Nestorii filius, obiit 433 p. Ch., et Syrianus, primi Athenis Neoplatonicam scholam aperuerunt.

2º Proclus, 411—485, praecipuus recentiorum Neoplatonicorum; philosophiam Plotini etiam dialectice probare conatus est.

3º Procli discipuli plures fuere, successores in Schola regenda: Marinus, — Isidorus, — Zenodotus, — Damascius qui scholae ultimus praefuit a. 520; suppressis vero a Justiniano scholis Atheniensibus philosophicis, a. 529, in Persidem ad Chosroam exsulavit; sed spe frustratus, post pacem a. 533, reversus est Athenas, nullam tamen scholam amplius habuit. — Finis philosophiae graecae paganae; Christianismi Victoria. — Postea pauci singulares scriptis Neoplatonismum tenuere.

PARS SECUNDA.

HISTORIA PHILOSOPHIAE POST CHRISTUM.

Inter plurima atque maxima varietatis systemata philosophica, qualia extra influxum Christianae Religionis exorta vidimus, turpiter in errores omnimodos plurima abibant, praeclariora aliqua surrexerunt, nullum tamen fuit quod omni ex parte veram et sibi cohaerentem doctrinam statueret; sed pauca recte cogitata multis faeditatibus et ineptis contaminabantur. — Tandem apparuit doctrina simplicissima simul ac sublimissima, speculativa simul et practica, quae et antiquam philosophiam regeneravit, et novam puriorem ac solidiorem creavit: hinc enim humanae naturae dignitatem extollit, illinc tamen superbae rationi limites statuit, cupiditatibus frena injicit, doctos et indoctos communis caritatis vinculo colligat.

Origo Christianae philosophiae investiganda et explicanda non est sicut ceterarum philosophiarum origo: hae enim rationis humanae tentamina sunt, ista divinae rationis manifestatio; — ceterae philosophiae uni alterive genti et tempori prodesse poterant, Christiana vero ad omnium nationum ac temporum homines excolendos, perficiendos et beandos nata est.

Exinde jam omnes philosophicae doctrinae vel speculationes dividuntur in doctrinas conformes symbolo christiano, et doctrinas illi oppositas. Ambas parallelas per tres periodos successivas considerabimus, in quas tota deinceps historia dispesci solet.

Caput 1. Ab Evangelii promulgatione usque ad Carolum Magnum.

Caput 2. A Carolo Magno usque ad Lutherum.

Caput 3. A Lutheru usque ad Leonem XIII.

CAPUT I.

AB EVANGELII PROMULGATIONE USQUE AD CAROLUM MAGNUM.

Per totam hanc periodum p[re]a aliis eminet 1) lucta Christianismi hinc quidem cum paganismo paulatim in theurgia et neoplatonismo emoriente, illinc autem cum interioribus dissentionibus haereticorum successive aliorum exsurgentium; — 2) evangelicae revelationis non solum propagatio apud omnes gentes, sed et progressiva evolutio et profundior intellectus dogmatum, per rationalis philosophiae applicationem et inquisitionem. — Sint igitur

Articulus 1. De philosophia haereticorum.

Articulus 2. De philosophia Catholicorum.

ARTICULUS 1.

De philosophia haereticorum.

Non omnia haeretica systemata hic exponenda veniunt, sed ea solum quae aliquam cum philosophicis speculationibus connexionem habent. Quae in eo omnia inter se convenient; quod christiana dogmata velint admittere tamquam altissimarum quaestionum solutiones, ea tamen interpretari juxta normam philosophiae, eaque praesertim neoplatonismo, tunc maxime vigenti doctrinae, adaptare et intorquere conentur. Ast eo successu id effecerunt ut et ab ethnicis neoplatonicis tanquam Christiani, et a Christianis tanquam infideles impugnarentur. — Omnia dicenda fere ad haec duo reduci possunt:

§ 1. De Gnosticismo.

§ 2. De Manichaeismo.

§ 1. DE GNOSTICISMO.

1º Multa Gnostici ex Platone, sed multo etiam plura ex Orientalibus haurerant sua placita. — Convenient fere in hisce punctis: a) Lumen primordiale, quod Bythos, abyssum, vocabant, fuisse originem omnis luminis, et ens pri-